

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Frankofurti, 1625

Thema XXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

miraculis nihil fuerunt moti, iam hoc miraculo quod ipso mortuo factum erat, debebant moueri, &c.

L. I. Nos vero docet hoc miraculum, de certissima mortuorum resurrectione. Sic enim Deus hoc potuit efficere per ossa mortui Prophetæ, quid non possit per vocem filii omnipotentis, de qua Joan. 5. v. 28. 1. Thess. 4. v. 16. Vide ossa arida Ezech. 37. Itaq; Job nihil dubitat Job. 19. v. 25. Nec quisquam pius.

L. II. Nihil vero seruit hic locus Pontificiorum superstitionibus, & opinioni de peregrinationibus ad monumenta sanctorum.

Hanc enim virtutem ossa Elisæi non habent ex se, sed singulari Dei virtute & consilio hoc est factum ex causis supra dictis. Neque habemus eius rei mandatum vllum. Imo interdictum, ne pro viuis ad mortuos transeamus Esa. 8. v. 19. Ideoque Deus studiose occultat sepulchrum Mose, Deut. 34. vers. 6. Quo diabolus volebat abuti ad seducendum homines, [vt recte innuitur Ep. Judæ vers. 9] sicut serpente æneo. Ideoque destruitur. 2. Reg. 18. vers. 4. Nec hoc sine ossa Martyrum in primitiua Ecclesia, fuerunt condita & reseruata, sed ex charitate & propter spem resurrectionis. Vide de ossibus Polycarpi hist. Ecclesiast. Euseb. lib. 4. cap. 15.

F I N I S.

THEMA XXV.

2. Reg. 20. ab initio ad v. 8.

De Hiskia, agro, & restituto, &c.

D I S P O S I T I O.

Memorabilis est hæc historia, de Jehiskia rege piissimo, qui sententiam mortis iam acceperat, non ipse, in seipso, vt Paulus 2. Cor. 1. v. 9. sed à Deo per Prophetam. Et tamen singulari Dei beneficio, nec sine miraculo restitutus est non tantum sanitati, sed & quindecim annorum dilationem impetrauit. Et quia singularis est historia

storia, (cum simile exemplum in scripturis non extet)
singulari etiam diligentia à Spiritu sancto est descripta,
non hoc tantum Joco, sed & Esa, 38. & 2. Paral. 23.

Quamvis autem historia hæc paulo sit prolixior, nos
tamen in quatuor partes, breuitatis causa, illam poterim
mus diuidere, non incommode.

Sunt igitur hæc partes principales.

1. Mortis denunciatio.
2. Egroti deprecatio.
3. Sententiæ diuinæ reuocatio.
4. Medicinæ vel remedii applicatio.

I. Pars.

Dicitur Hiskias felix ex omnibus operibus suis. 2. Par.
32. v. 30. At quod nihil sit ex omni parte beatum, ipse et-
iam, licet inter alios felicissimus, experiri cogitur

1. Jam modo effugerat manum Assyrii, nunc lethali
corripitur morbo. Judicant plerique peste ipsum labo-
rassè quia apostematis sic mentio infra, v. 7.

2. Et quod grauius videtur, omnis ipsi spes sanitatis
præciditur, quæ poterat esse in corpore adhuc vegeto, an-
nis, & flore ætatis, atque medicorum arte. At morieris,
audit.

3. Neque veto hoc audit ab hominibus, qui fallere
possunt, nec à medicis suis, quorum interdum diuinatio-
nes incertæ sunt: Sed à Propheta, imo à Deo. Et repetitur
illud secunda vice: Morieris, & non viues.

4. At post aliquot annos, menses, aut dies forsitan mori-
ar? Non, sed mox. Ideoque absque mora præcipe do-
mum tuam. *Nach nur dein Testament. Es wird bald Feind
abend werden.*

L o c u s. Etiam qui felicissimi sunt in hoc mundo, ca-
lamitatibus variis premuntur.

Dicique beatus, ante obitum nemo supremaque fune-
ra debet. *Quæ igitur hæc felicitas? misera sane. Quod
pretiosum, labor est & dolor. Psalm. 90. v. 20. Quare hoc
fit?*

fit: Vt sciamus nos esse in valle lachrymarum Psal. 84. v. 7. & vt desideremus vitam meliorem 2. Corinth. 5. v. 2. *Α*λλ' ουκιν semper oculos defigimus in terram: cum tamen *πολιτευμα* nostrum sit in caelis Philip 3. v. 20.

Dauid nusi vns br ser Herr Gott das Kraut versalzen. Et quam agre possit ipse Hiskias. & pii ceteri ferre dies felices, patet ex Esa. 39. 2. Par. 32. v. 25. Mox superbia & cetera peccata superant pias etiam mentes.

Exemplo est Dauid. 2. Sam. 1. v. 2. securus & felix. Ita, que bonum est si humilientur. Psal. 119. v. 71.

NOTA. De verbis, *Pracipe domui tuae, &c.* Vide peculiarem dispositionem, Partei. Promptuarii Classi I. Numero XXIII. pag. 73.

II. Pars.

Triste nuncium accepit rex noster. O amara mors, homini felici, regi, iuueni, &c. Syr. 40. Ideoque in magnum coniecitur mœrorem rex optimus: & 1. acerbissimis lachrymis deflet mortem immaturam.

2. Conuertit autem se ad parietem, qua parte templum ipsi erat obuersum, & orare incipit ex corde.

3. Rogat Dominum, ne tam cito viuendi finem faciat; Cum haec tenus fecerit officium sedulo, & pro virili promouerit cultum diuinum, &c.

Quid audio, inquis! hiccine tam pius rex sic muliebriter euolat, vbi moriendum: sic trepidat?

Resp. Non nego, aliquid humani passum Hiskiam, quia inexpectata erat ipsi hæc mortis hora, vt patet ex Cantico ipsius Esa. 38. v. 10. 12. & 13.

At non sine causa tam acerbis profundit lachrymas.

1. Non habebat filium, hæredem regni legitimum: quia triennio post natus est Manasses.

2. Erat adhuc iuuenis, annos natus 36. & metuit lacerationem regni: metuit Ecclesiæ, quæ recens erat ab ipso bene constituta.

3. In mentem venit, se forsitan aliquo peccato sic off-

fendisse Deum, ut is velit abbreviare vitam: quod præcipue ipsum sic angit, ut clare patet ex Esa. 38. v. 17.

Locvs. Sterbens Zetung Fleisch und Blut ein harte Botschafft. Etiam in piis, quia carnem habent. Ducet te quo *non vis* Joan. 21. v. 18. Etiam si naturali morte decedamus.

Filius ipse Dei horret mortem. Transeat calix Matth. 26. Inexpertis sæpe narrant, quod delectentur more. At dulce bellum inexpertis. Amara mors non frustra dicitur. Nec mirum, quia poena peccati: & à Diabolo inuecta. Sap. 2. v. 24. non à Deo. Sap. 1. v. 13. Superanda autem hæc amaritudo consolationibus scripturæ 1. Via omnis carnis 1. Reg. 2. v. 22. Piis somnus & quies. Matth. 9. v. 24. Apoc. 14. v. 13. Esa. 56 in fine. 3. Melius esse cum Christo, Mori lucrum. Phil. 1. v. 21. & 23. 4. Et resurgemus. 1. Thef. 4. v. 14. Atque 5. ad vitam. Dan. 12. Joan. 5.

Ratio horum omnium: Quia peccata credentium proiecta post tergum. Quod vnum solatur Hiskiam. Esa. 38. Vide Mich. 7. v. 19.

III. Pars.

Nondum egressus civitatem Esaias, reuocatur à Domino. Reuocat enim sententiam mortis Dominus. O lærum nuncium. 1. Audiui orationem. 2. Vidi lachrymas. *Dasß dir erust sey.* 3. Sanabo, 4. Mox: intra triduum ascendes in templum. 5. Addam vitæ annos 15, 6. Defendam te, Idque propter me, & propter verbum promissum Dauidi. Quia verax sum.

Locvs I. Videmus quod liceat orare pro sanitate, pro longæuitate &c. Psal. 102. v. 25. Non auferas me in medio dierum. At sub hac conditione: Fiat voluntas tua.

II. Videmus quid possint preces ardentes, & quod pretiosæ coram Deo lachrymæ piorum, ut patet Psal. 56. v. 9. Multum valet oratio, si seria. Et. Syr. 35. v. 21. Jac. 5. v. 16. Exempla in scripturis passim obuia sunt, 1. Reg. 17. v. 20. 2. Reg. 4. vers. 33.

III. Vi-

III. Videmus quam facilis sit Deus in reuocandis sententis iam latis, si poenitenti corde ipsi occurramus. Am. 4. v. 12. Jerem. 18. v. 8. Exemplo sunt Niniuitæ. Joan. 3. v. 4. & 10. Neque sic fallitur ipseus prouidentia. Tamen si enim iam naturaliter vitæ finis adfuerit, tamen immutantur omnia ad preces ipsius.

At Deus simul etiam nouerat ante, quid facturus sit Hiskias: ideoque in sua prouidentia non est deceptus. Si impius fururus fuisset, aut non orasset, hoc ipsum iam Deus præciuisset, & aliter egisset.

IV. Pars.

Licet Dominus iam promiserit annos 15. & sanitatem post triduum, tamen mediate sanare vult. Itaque Propheeta mandat, vt emplastrum de sicubus apostemati adhibeatur. Quod si hoc negligere & contemnere voluisset rex, certe moriturus fuisset, quia Deus per medium hoc, sanitatem largiri voluit, non absolute.

Docet nos Deus, qui vere nunquam absolute in talibus casibus, sed semper mediate agit, non debere nos contemnere media: quod multi faciunt, dicentes: Si Deus me vult conseruare, non opus erit medicina: sin mori me voluerit, frustra erit adhibita. Atqui vide quid hic fiat, Deus vult regem seruare at non nisi adhibita medicina: Illa ergo non contemnenda. Syr. 38. v. 1. & seq.

Illustre exemplum de medijs, per quæ Deus vult seruare, extat Actor. 27. Vbi omnes in naui, donati Paulo, dicuntur euasuri, v. 24. Interim tamen fugam meditantibus nautis, Paulus aperte dicit, Nisi hi mancant, salui esse non poterimus. v. 31.

Impietas igitur est contemnere medicinam, aut quæuis media, quæ haberi possunt. Non tentandus Deus Matth. 4. v. 7. Non amanda pericula. Syr. 3.

versu 27.

F I N I S.

E S

THE